



9

si Cometæ fierent ex concretionem halituum, qui ex Sole, alijsq; erumpunt Planetis, dissiparentur penitus, quum per Solis viciniam transirent. Sic Cometa anni 1680. in transitu Soli erat adeo vicinus, ut necessario dissolvi debuisset, si nihil aliud fuisset, ac concretio exhalationum Solis, & Planetarum. Porro meteora quæcunq; emphatica per reflexionem, aut refractionem visa non ubiq;, non æqualiter, nec ab omnibus, sed ab aliquibus dumtaxat pro diverso situ spectantur: ut enim iris cadat sub oculum, necesse est, ut is in medio sit positus inter Solem nempe, & iridem; iris quippe non adparet, nisi in oppositione cum Sole. Pariter ut halo, qui coronæ instar astra cingit, videatur, requiritur, ut rara quædam nubes nos inter, atq; astrum, quod halone cinctum adparet, sit interjecta. At Cometæ absq; nulla legum necessitate æqualiter ab omnibus conspiciuntur in diversis, & distitis etiam regionibus. Cometæ itaq; nubes a Sole illustratæ esse nequeunt.

§. IIX.

Haëtenus recensitæ sunt opiniones aliorum. Quare concinna jam methodus postulat, ut nostra quoq; mens hanc circa rem dilucidius aperiatur. Quænam ista? percipe! Cometæ esse sidera errantia mundo coæva, & naturæ Planetarum quam proxime adfinia declarabimus. Verum, priusquam hæc concludatur positio, notiones quasdam de Cometis præmittendas esse ducimus.

§. IX.

Inprimis Cometæ suo in cursu motum observant admodum regularem, uti jam pridem demonstrarunt viri de rebus astronomicis optime meriti Cassinus, & Newtonus, qui eosdem sub iisdem constellationibus ire, ac redire deprehenderunt. Unde Cassinus omnium Cometarum nota-

B

vit